DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VIII. IANVARII.

M. SIMONE BOVLLOT Doctore Medico, Moderatore.

An Frigida Febribus? 1103

CALOR natiuus functionum corporis omnium opifex, ob motum, aut putredinem, aut, dum exiit à se atque deurit, ὁμιλίαν, aut etiam sui ipsius benigni affluxus impedimentum in corde ἐκπυρωθεὶς, diffususque per totum corpus, febrem excitat: Quæ dum, quod pingue, lentum, leue, crassum, ἀερῶδες & ἄσηπτον esse debet, corrumpit, liquat & depascit, Draconis instar & Elephantis seipsam conficit. Hujus autem differentiæ à tribus maximè capitibus oriuntur, calore præter naturam, modo motus illius, & materiâ; sed licet duo priora ὃ τί ἦν εἶναι febri demonstrent; postremum tamen διαιρετικὸν καὶ συστατικὸν esse videtur. Ephemera imputris & ἀκίνδυνος vltra diem non producitur, nisi æstus in spiritu κατισχυμένη μετάληψις fiat in humores. Quæ quondam in Anglos est debacchata, an pestis nomine rectè donata?

PVTRIDA febris soboles est humoris, qui solutâ sicci temperie & perenni refrigerij solatio defraudatus vt pabulo, σφηνώσει, ἐμφράξει καὶ στεγνώσει putredinem concipit, ac pro varij ratione fundi, varias quoque, easque diuersas sui generis species progignit. biliosi quippe cumulus congenerum sibi febrium, loco tantùm, nec materiâ differentium inter se, author est tertianæ scilicet & ardentis; pituitosi, quotidianæ; melancholici, quartanæ. Sanguis verò cum vitium capit, singularem sibi nullam adornat; sed tenuior sui pars, in flauam abit: crassior verò, in succum melancholicum facessit.

VT omnium corporis partium procreandarum vinculum est vnicum, aqua: sic & conseruandarum; cujus quidem beneficio & ope, tum in plantis cùm in animantibus alimenti coctio atque distributio perficiuntur. Hæc porrò visu, gustu, olfactu, quemadmodum nec pondere, non satis exploratur: exemplo est quæ ἐκ τῆς συνεχίας scaturiebat; illaque οἰνώδης Naxij fontis. ἄμεμπτος καὶ ἀβλαβὴς aqua nulli non ætati: si tenuis, si limpida, si leuis & dulcis, ἕψειν ἀείσῃ, χαριεστάτη, calore & frigore moderata, modici patiens vini. Egregias dotes illas pluuiali quidni tribuam, quæ ab æthere clementi missa, aut cum tonitru vibrata, curari amat? Paulò inferioris erit salubritatis illa, quam versus solis ortum è terra videmus erumpere, ac per arenosa loca tantisper exspatiari sub dio.

FEBRIS curatio à sui & causæ æstimatione pendet, ἐνδείξει nempe lege & ordine expulsionem per contraria, nec tamen ἰσοτίμως digito quasi monstrante. ægrotantis ratio virium atque consuetudinis potissimùm spectanda est. Neque vnquam sibi palpum obtrudit, prudens & sagax medendi artifex: vt qui καιρὸν ὀξὺν esse non ignorat, nec μέτρον ἑκάστῳ τῶν ὅλων. Hic symptomatis non medetur Arabum syrupis, nec primis hujus affectus insultibus somnum accersere Græcorum propomatis, aut degeneribus crassitiem humoribus inducere meditatur πόνῳ πόνον adaugens veluti alter Prodicus. Quod sane præstat, qui variolarum & febrium malignarum virus carduo benedicto, electuario de gemmis, cinnamomo, ambrâ, diamargarito, confectione alkermes aut similibus adoritur & curandum suscipit. Sane vt Hercules haudquaquam necasset Antheum, nisi è terrâ tanquam parente sustulisset: sic nec Medicus febrium Iliada, non nisi enemate, venæ sectione, catharsi, sed aquâ maximè profligaturus est.

FEBREM aquâ tolli satis superque conficiunt ratio & experientia, cum phlegmone licet adjuncta sit, ac eam foueat putris in parte collectus humor. Hæc quippe diariæ flammam extinguit; & vtrumque scopum assequitur in curatione putridæ: partem humoris febrem committentis elidit & aliam deprimit, quæ est ἐν τῷ γίνεσθαι. obstructiones diluendo soluit; refrigerando putredini obsistit; ab hectica vendicat humectando; καῦσον ardorem temperando retundit. Remediorum profectò celebrium curandi modorum vsus haud semper opportunus est: aquæ verò perennem in omnibus febrium tempestatibus tutissimum & jucundissimum vsum haberi volumus.

Ergo frigida febribus. 543

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Daniel Arbinet.	*M. Ioannes Antonius Bourgaud.*	*M. Nicolaus Richard.*
M. Franciscus Lopes.	*M. Germanus Hureau.*	*M. Petrus le Mercier Prof. Chir.*
M. Carolus Baralis Med. Reg.	*M. Ioannes de Bourges.*	*M. Claudius Guerin.*

Proponebat Lutetiæ CAROLVS DE LAVAL Parisinus. A. S. H. M. DC. LX.